



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 46. Pontificis Bulla contra Turnonii hostes, & Rituum Assertores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. „bito obsequiosi animi sensu concepit
 „A. C. 1710. „quibus sua sanctitas præcipit, ut ea
 „occasione, qua Religiosis mei Ordinis
 „Missionariis in China, postremum de-
 „cretum, in caussa Rituum chinesisum
 „publicatum missurus sum, debeam
 „pariter notificare, quod Sua sanctitas
 „sicut nunquam sensit primum suum
 „Decretum de Anno 1704. esse condi-
 „tionatum, ita vult, quod nulla sinistra
 „interpretatio prætensæ Conditionalis
 „tati innixa impedire queat, quominus
 „tam illius, quam Mandatum Domini
 „Cardinalis de Turnon exacte debeat
 „observari. Exequor prompte iussu
 „sue Sanctitatis, & certus sum, quod
 „Missionarii mei Ordinis in China cum
 „totali devotione sui, obedient, prout
 „semper fecerunt; Et ego manus ejus
 „reverenter exosculor. „

§. XLVI.

*Pontificis Bulla contra Turnonii ho-
 sies, & rituum Assertores.*

Epist. Clem. Interea Pontifex de Turnonii captivi-
XI. p. 87. tate, Archiepiscopi Goani opposi-
Fattinell. tione, & Missionariorum Pontificiis de-
Relat. mort. cretis obtemperantium vexationibus
Turn. p. 31. certior factus, præprimis Cardinalem
 solatus, die vigesima octava Februarii
 has ad eum dedit literas: „Non deessent
 „Tibi

„Tibi profecto assidua Pontificiæ nostræ Sæc. XVIII.
 „benevolentiae testimonia, neque inter A. C. 1710.
 „angustias quas perfers, ea solatia,
 „quæ a charitate nostra eximie ac
 „invictæ tuæ virtuti omni jure debentur,
 „si quoties cogitationes, curasque
 „nostras ad Te convertimus, toties eas
 „tibi per literas significandi modus, ac
 „occasio nobis suppeteret; adeo con-
 „stans ac firma est in animo nostro sol-
 „licitudo, qua pro te afficimur, per-
 „pendentes, quam dura & ardua, &
 „quam ob causam tibi nil tale merito
 „sint hoc tempore perferenda; quo-
 „niam vero immanis, qua ab invicem
 „disjungimur, locorum distantia in
 „caussa est, ut animi nostri sensus raro
 „nimis tibi enuntiare valeamus, ma-
 „lumus uti in præsens hac qualicun-
 „que oblata nobis opportunitate scri-
 „bendi, quam eam irritam dimittere,
 „ut hoc saltem amoris nostri indicio,
 „si has nostras ad Te perferri contige-
 „rit, recreeris, quamquam ea est ne-
 „dum apud nos, sed apud universam
 „Ecclesiam tuorum meritorum præ-
 „stantia, ut nullo modo ambigere pos-
 „sis, quin nos præcipua dilectione te
 „pro Dei causâ tam strenue laboran-
 „tem complectamur, & sane auspica-
 „tissimi illi nobis dies sunt, quibus de
 „tali aliquid ad Nos ex istis remotissi-
 „mis

Hist. Eccles. Tom. LXVIII.

N

„mis

Sæc. XVIII. „mis partibus affertur, ubi præsertim
A. C. 1710. „te sospitem esse, quod maxime opta-
 „mus, audimus. Tum vero cumulus
 „accedit lætitiæ nostræ, cum intelli-
 „mus, Te inter tot tribulationum æstus
 „animo nihil commotum, eodem que-
 „rendæ Dei gloriæ, & afferendæ ve-
 „ritatis desiderio, quo plenum istud
 „difficultatis ac periculi, sed ingentis
 „meriti, opus ab initio suscepisti, ad
 „huc magis intime incendi, ac fretum
 „ope cælestis præsidii, nullis incom-
 „modis, utcunque gravissimis, abste-
 „neri, quo minus ministerium tuum
 „impleas, ut assequaris coronam, quæ
 „legitime certantibus promittitur, ne-
 „que tamen existimes, charitatem erga
 „Te nostram iis terminis circumscribi
 „ut quodam tantum animi consensu
 „participes eorum efficiamur, quæ
 „agis ac perfers, nec curas interim nos-
 „tras ulterius provehamus: non enim
 „ullo modo prætermittimus adhibere
 „congrua media, & sedula officia, ac
 „monita, quæ ad parandam ac reddenda
 „dam tibi quanto citius securitatem
 „ac libertatem profutura esse arbitra-
 „mur; videmus enim, quanti nostra
 „interfit, ne Pontificii nominis, &
 „Apostolicæ Sedis dignitas, & Autho-
 „ritas in Te contemnatur, & ne pro
 „Zelo, quo ad promovendam cum ani-
 „marum

„marum salute integritatem, ac puri- Sæc. XVIII.
 „tatem Christianæ fidei, debitæque A. C. 1710.
 „executioni demandanda Apostolicæ
 „Sedis decreta, extremas usque Orbis
 „partes adire non dubitasti, tam in-
 „dignam tibi homines, qui minime
 „omnium deberent, mercedem repen-
 „dant. Deus, qui sustinentes se non
 „destituit, confirmet, & adaugeat in
 „Te spiritum fortitudinis, teque sua
 „gratia, & ope communiat; quod
 „Nos ab eo junctis nobiscum fidelium
 „precibus indefinenter exposcimus.„

Pariter Philibertum Le Blanc Vi-
 carium Apostolicum in Sinarum Impe-
 rio, & Ludovicum Appiani Missiona-
 rium adhucdum in aspera custodia &
 carcere detentum die vigesima secunda
 Augusti Pontifex paternis literis sola-
 tus, ad ærumnas & angustias pro Dei
 causa strenue constantique animo per-
 ferendas hortabatur.

Postea Pontifex, ut refractarios Ri-
 tuum Assertores, & Apostolicæ deci-
 sionis Contemptores ad officium redi-
 geret, atque Turnonio promissa secu-
 ritatis remedia impenderet, die deci-
 ma quinta Martii contra eos sequentem
 promulgavit Constitutionem:

„Ad Apostolatus nostri notitiam,
 „non sine gravissima Animi Nostri mo-
 „lestia, pervenit, quod Venerabilis Fra-

Sæc. XVIII. „ter Joannes de Casal Episcopus Mo
A. C. 1710. „caonensis tametsi alios, nempe statim
 „ac ad illius manus devenerant quæ-
 „dam nostræ in simili forma Brevis li-
 „teræ, quibus ei significaveramus, Nos
 „in illas partes ablegasse dilectum fi-
 „lium Nostrum Carolum Thomam S.
 „R. E. Cardinalem de Turnon tunc Pa-
 „triarcham Antiochenum, eique ma-
 „nus Nostræ, & Apostolicæ Sedis Com-
 „missarii, ac Visitatoris Generalis in
 „Sinarum, aliisque Indiarum Orientalium
 „Regnis cum potestate etiam Nostræ,
 „& ejusdem Sedis de latere legati-
 „mandasse, ipse Joannes Episcopus
 „debita reverentia atque obedientia
 „ut par erat, ejusdem Caroli Thomæ
 „& Cardinalis [tunc Patriarchæ, ac
 „Commissarii, & Visitatoris Generalis
 „jurisdictionem absque ulla mora agno-
 „visset, quinimo id ipsum per suum Ed-
 „ictum publice affixum, & promul-
 „gatum toto literarum Nostrarum præ-
 „fatarum tenore inserto, palam decla-
 „rasset; nihilominus postea tam ac-
 „ter, atque impudenter in ipsius Ca-
 „roli Thomæ Cardinalis tunc Patriar-
 „chæ, ac Commissarii, & Visitatoris
 „Generalis auctoritatem, potestatem,
 „ac dignitatem, adeoque etiam nostræ
 „& dictæ Sedis jura impetere ausus fuit
 „ut non modo per aliud suum Edictum
 „vigo-

„vigore quarundam assertarum litterarum sibi hac in re a Venerabili Fratrem Augustino ab annunciatione Archiepiscopo Goano scriptarum illique forsan ejusdem Augustini Archiepiscopi edicto consimilium, quod dudum per alias Nostras in simili forma Brevis die 4. Januarii 1707. expeditas literas nullum, irritum, atque invalidum declaravimus, publicatum, dicto Carolo Thomæ Cardinali tunc Patriarchæ, ac Commissario, & Visitatori Generali cujusvis Jurisdictionis exercitium in sua Diœcesi Macaonensi interdixerit, omnemque a suis subditis Obedientiæ actum exhiberi prohibuerit: verum etiam ejus nomine a quodam Laurentio Gomez asserto illius Vicario Generali adversus dilectum Filium Constantium a Spiritu sancto Priorem aliosque tunc existentes Fratres Conventus *Nostræ Dominæ de gratia* nuncupati Macaonensis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, eoquod ipsum Carolum Thomam Cardinalem tunc Patriarcham & Commissarium & Visitatorem Generalem honorifice exceperissent, ad interdicti, aliasque poenas & censuras Ecclesiasticas non minus nulliter, quam injuste deventum fuerit. Ad hæc idem Joannes Episcopus eo temeritatis processit, ut

Sæc. XVIII.
A. C. 1710.

Sæc. XVIII. „minime attendens ad Petram, unde
 A. C. 1710. „excisus fuerat, quascunque censu-
 „ras a prædicto Carolo Thoma Cardi-
 „nale tunc Patriarcha ac Commissario
 „& Visitatore Generali latas pro irritis
 „& nullis habendas esse, publice de-
 „claraverit, imo etiam contra ipsum
 „Carolus Thomam Cardinalem tunc
 „Patriarcham ac Commissarium & Vi-
 „sitatorem Generalem inverso sane po-
 „narum per Canonicas sanctiones in-
 „rogatarum usu, majoris excommuni-
 „cationis sententiam promulgare non
 „erubuerit: ita plane Apostolicæ juris-
 „dictionis hostis & everfor factus est, qui
 „illius custos, & vindex præcipuus esse
 „debuisset. Præterea adeo se imme-
 „morem ostendit venerabilis dignitatis
 „sui characteris, ac inviolabilis Reli-
 „gionis illius jurisjurandi, quo se Deo
 „Nobis, & Ecclesiæ in suscipiendo con-
 „secrationis munere obstrinxerat, ut
 „Ministris, ac officialibus laicis earum-
 „dem partium duriora quæque adver-
 „sus dignitatem imo etiam personam
 „præfati Caroli Thomæ Cardinalis tunc
 „Patriarchæ ac Commissarii & Visita-
 „toris Generalis molientibus se socia-
 „verit, ac pene Dux eorum, qui Chri-
 „stum Domini sacrilego, & detestabili
 „ausu multifariam vexarunt, & forte
 „etiam adhuc vexant, fieri non formi-
 „dave-

„daverit; aliaque plura adversus ejus- Sæc. XVIII.
 „dem Caroli Thomæ Cardinalis tum A. C. 1710.
 „Patriarchæ, imo potius adversus no-
 „stram & Sedis præfatæ autoritatem
 „ac jurisdictionem attentare præsum-
 „pserit. „

„Innotuit pariter Nobis, quod præ-
 „missis attentis, Dominus Carolus Tho-
 „mas Cardinalis tunc Patriarcha ac
 „Commissarius, & Visitator generalis,
 „tametsi nunc temporis in præfata ci-
 „vitate Macaonensi, *non quidem a pa-*
 „*ganis, sed ab officialibus, & ministris*
 „*Christianis* nulla sacri characteris, nulla
 „præstantissimæ suæ dignitatis, nulla
 „Ecclesiasticarum sanctionum, nulla
 „denique juris gentium, quod apud
 „barbaras quoque Nationes sacrosan-
 „ctum, ac inviolabile est, habita ra-
 „tione, multorum militum diurna, no-
 „cturnaque custodia, ut captivus reti-
 „neretur, aliisque acerbissimis, ac pla-
 „ne incredilibus injuriis, & contu-
 „meliis, *ipsis exhorrescentibus Ethnicis,*
 „affectus reperiretur, nihilominus inter
 „affectæ valetudinis, ac tot aliarum
 „tribulationum, quas perferebat, in-
 „commoda, crescens quotidie magis
 „in charitate Christi, invictoque animo
 „illius causam agens, postquam præ-
 „cipuos ejusmodi sacrilegorum exces-
 „suum adversus ejus personam ac

N 4

„digni-

Sæc. XVIII. „dignitatem commissorum authores,
 A. C. 1710. „ac vere iniquitatis filios, canonicæ
 „severitatis mucrone percusserat, illos
 „que, affixis contra eos schedulis, ma-
 „joris excommunicationis pœnam in-
 „currisse pronuntiaverat: Inter alia, ad
 „quæ, ut sua, quinimo Nostra, & ejus-
 „dem Sedis jura fortiter tueretur, im-
 „perterrito animo devenit, omnia, &
 „singula per Curiam Episcopalem Ma-
 „caonensem contra ipsum, ejusque ju-
 „risdictionem gesta, ut præfertur, ut
 „pote impedientia exercitium muneris
 „& Apostolicæ autoritatis summopere
 „læsiva circumscripsit, annullavit, re-
 „vocavit. „

„Sententiam insuper asserti inter-
 „dicti in Fratres, & Ecclesiam præfati
 „conventus ordinis Eremitarum sancti
 „Augustini, sicut præmittitur, latam
 „necnon quascunque citationes, Man-
 „data, Edicta, ac scripturas jurisdictionem
 „Apostolicam quomodolibet læ-
 „dentes, aut illi quoquo modo contra-
 „rias revocari, aboleri, deleri, ac pro-
 „nulliter factis, nulliusque roboris, ac
 „momenti haberi, & habendas esse
 „mandavit; ipsum vero Joannem Epi-
 „scopum propter præmissa censuras
 „omnes a sacris canonibus, & Aposto-
 „licis constitutionibus, ac præsertim
 „literis die Cænæ Domini singulis annis
 „legi

„legi, & promulgari solitis, contra si-
 „milia perpetrantes inflictas, damna-
 „biliter incurrisse, illumque pro excom-
 „municato, & a fidelium consortio se-
 „gregato, & vitando haberi, & haben-
 „dum esse, similiter declaravit. Post
 „hæc cum accepisset, in eadem civi-
 „tate Macaonensi non semel adversus
 „Pontificiæ potestatis jura, & Eccle-
 „siasticam libertatem convenisse in u-
 „num, atque in tenebrarum consilia,
 „non modo Ministros, & officiales lai-
 „cos, sperantes auxilium in fortitudine
 „Pharaonis, & habentes fiduciam in um-
 „bra Ægypti, sed etiam eos, qui ce-
 „teris lucis exempla præbere, atque
 „utpote de Altari viventes, vel *Reli-
 „gioso strictioris vitæ, & obedientiæ insti-
 „tuto* addicti, Apostolicam auctoritatem
 „præcipue excolere debuissent, turpiter
 „conspirasse: omnia, & singula in ejus-
 „modi Conventibus, seu potius conci-
 „liabulis Decreta, & statuta, quæ Se-
 „dis Apostolicæ præfatae, & Ecclesia-
 „sticæ Immunitatis jura quovis modo
 „lædere poterant, uti nulla, irrita, &
 „invalida, nulliusque roboris, & mo-
 „menti pariter habenda decrevit, om-
 „nesque, & singulos cujusvis status,
 „& conditionis, sive laicos sive Eccle-
 „siasticos, tam sæculares, quam Re-
 „gulares cujuscumque Ordinis, vel In-
 „stitu-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1710.

Sæc. XVII. „stituti, qui conventibus, seu conc
 A. C. 1710. „liabulis hujusmodi interfuerant, ibi
 „que aut suadendo, aut consulendo
 „aut subscribendo, aut mandando, au
 „alias quomodolibet directe, vel indi
 „recte Decretis, & statutis prædictis
 „conferant, censuras, & pœnas Ec
 „clesiasticas contra hæc perpetrantes
 „in Apostolicis Constitutionibus, ac po
 „tissimum literis die cænæ Domini leg
 „solitis supradictis contentas incurrisse
 „illosque propterea pro excommunica
 „tis, & a fidelium gremio segregatis
 „& vitandis, haberi & habendos esse
 „denuntiavit. „

„Novissime demum e remotissimis
 „illis regionibus Nobis significatum fuit
 „illatas eidem Carolo Thomæ Cardi
 „nali Commissario, & Vilitatori gene
 „rali, ejusque dignitati multiplices
 „ac pene inauditas vexationes, etiam
 „postquam illuc innotuerat, eum, ex
 „meritis suis ita exigentibus meritis, ad
 „sublimem Cardinalatus honorem
 „Nobis evectum fuisse, minime cessasse
 „præ cæteris vero supradictum Lauren
 „tium Gomez assertum vicarium gene
 „ralem Macaonensem, in alium prorupisse
 „gravissimum excessum; cum enim d
 „ctus Carolus Thomas Cardinalis o
 „justas, & rationabiles causas ab e
 „expressas, dilectos filios Presbytero
 „Reg

„Regulares Societatis Jesu in dicta ci- Sæc. XVIII.
 „vitate Macaonensi existentes, illorum- A. C. 1710.
 „que Ecclesiam, Collegium ac Semina-
 „rium Ecclesiastico interdicto supposuif-
 „set; idem Laurentius non modo in-
 „terdictum hujusmodi irritum ac nul-
 „lum temere declaravit, verum etiam
 „suo ad id promulgando Monitorio, seu
 „edicto omnibus & singulis Episcopa-
 „tus Macaonensis subditis cujuscunque
 „tandem gradus, conditionis & præ-
 „eminentiæ existerent, ne cum dilecto
 „Filio Petro de Amaral Fratre expresse
 „professo Ordinis prædicatorum, qui
 „pro debita eidem Carolo Thomæ Car-
 „dinali semper, & constanter præstita
 „obedientia, ærumnas plurimas ma-
 „gno fortique animo sustinuit, aliisque
 „fratribus conventus Macaonensis dicti
 „Ordinis, imo nec cum aliis quibus-
 „cunque sive Laicis, sive Ecclesiasticis
 „tam sæcularibus quam regularibus
 „cujuscunque Ordinis, seu instituti dicto
 „Carolo Thomæ Cardinali obedientiam
 „exhibentibus, consortium ullum, seu
 „commercium haberent sub pœna ex-
 „communicationis per contravenientes
 „eo ipso incurrenda, districte prohibuit
 „ac interdixit. Quibus permotus,
 „aliisque pluribus supradicti Laurentii
 „reatibus attentis, idem Carolus Tho-
 „mas Cardinalis ipsum Laurentium ex-
 „com-

Sæc. XVIII., communicatum publice declaravit

A. C. 1710. „& tanquam putridum membrum

„Christi fidelium consortio abscissum

„pronuntiavit, subinde vero prædictum

„Joannem Episcopum non modo ejus-

„dem Laurentii sui asserti Vicarii Ge-

„neralis gesta temere ac perperam pro-

„pugnantem, sed etiam secundum du-

„ritiam suam & impœnitens cor the-

„saurizantem sibi iram in die iræ, ac

„peccatum super peccatum adjicere non

„dubitantem mense Septembri Anno

„1709. dilecto Filio promotore fiscal

„suæ Apostolicæ Visitationis instante

„ad comparandum infra annum in Al-

„ma urbe Nostra coram Nobis, ac le-

„defendendum, & purgandum de ex-

„cessibus in præjudicium Ecclesiæ, at-

„que Apostolicæ Sedis prædictæ, &

„contra proprium juramentum Episco-

„pale commissis, necnon ad dicendam

„causam, quare contra ipsum ad de-

„positionis, aliasque graviores pœnas

„arbitrio nostro irrogandas, procedi

„non deberet, citari, ac moneri jussit,

„& mandavit. „

„Cum autem ea omnia, quæ ad-

„versus præfatum Carolum Thomam

„Cardinalem, sicut præmittitur, de-

„creta, gesta, atque attentata fuerunt,

„quæque profecto non nisi summo om-

„nium Christi fidelium horrore ac mee-

„rore

„rore audiri possunt, intolerabilem Sæc. XVIII.
 „prorsus Ecclesiasticæ immunitatis Dei A. C. 1710.
 „ordinatione, & Canonicis Sanctioni-
 „bus constitutæ debitæque huic sanctæ
 „Sedi obedientiæ violationem, imo po-
 „tius everisionem importent: adeoque
 „Romanum Pontificem in suprema dictæ
 „Sedis specula cum potestatis plenu-
 „dine ab Altissimo collocatum, ad quem
 „inprimis pertinent damna, & offen-
 „sæ, quæ Christo Domino inferuntur
 „in tanta, & tam gravi Divini nominis,
 „atque humani juris perturbatione otio-
 „sum, ac desidem esse minime pa-
 „tiantur.,,

, Hinc est, quod Nos, qui ex com-
 missi Nobis cælitus Pastoralis officii
 debito quorumcumque eidem Aposto-
 licæ Sedi, sanctæque Dei Ecclesiæ com-
 petentium jurium, necnon quarumvis
 Ecclesiasticarum personarum præsertim
 non minus insignium meritorum, quam
 sublimis in eadem Ecclesia gradus splen-
 dore fulgentium, libertatis, ac digni-
 tatis assertores in terris, ac vindices
 a Domino constituti sumus: tametsi
 dictus Carolus Thomas Cardinalis,
 quantum sibi inter illas, in quibus ver-
 sabatur, & forsan adhuc etiam versa-
 tur, angustias, permissum fuit, ea om-
 nia, quæ ad ipsius munus pertinebant,
 quæque proinde firma semper, & salva
 esse

Sæc. XVIII. esse volumus, strenue ac fideliter, ut præ
 A. C. 1710. fertur, implere non prætermiserit, ni
 hilominus Pontificii etiam iudicii No
 stri accessione Ecclesiasticæ jurisdictio
 nis indemnitati uberius consulere, No
 straque, & dictæ Sedis jura sarta, te
 cta, atque illibata, quantum Nobis ex
 Alto conceditur, enixius tueri, & con
 servare cupientes, necnon omnium
 & singulorum in præmissis, seu eorum
 occasione tam ab eisdem Joanne Epi
 scopo, ac Laurentio Gomez ejus asserto
 Vicario generali quam a prædictis of
 ficialibus, ac Ministris, aliisque quibuscumque personis, sive Ecclesiasticis
 sive laicis quomodolibet actorum &
 gestorum seriem, causas, & circum
 stantias etiam aggravantes, necnon
 officialium, Ministrorum, aliorumque
 præfatorum qualitates, dignitates, No
 mina, & cognomina, aliave quæcum
 que etiam specificam, & individuan
 mentionem, & expressionem requiren
 tia, præsentibus pro plene, & suffi
 cienter expressis, ac exactissime, &
 accuratissime specificatis habentes, mo
 tu proprio, ac ex certa scientia, ac
 matura deliberatione nostra, deque
 Apostolicæ potestatis plenitudine præ
 fata omnia, & singula Decreta, Mo
 nitoria, ordinationes, literas, censu
 ras, declarationes, Resolutiones, in
 ter-

terdicta, mandata, & edicta, ac alia Sæc. XVIII.
 quælibet tam a Joanne Episcopo, & A. C. 1710.
 Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Laurentio Gomez
 generali, quam ab Officialibus, & mi-
 nistris suprascriptis, aliisque quibusvis
 personis tam sæcularibus sive Eccle-
 siasticis, sive laicis, cujuscumque tan-
 dem status, gradus, conditionis, &
 dignitatis fuerint, quam cujusvis Ordini,
 Congregationis, instituti, & So-
 cietatis, etiam Jesu, Regularibus in
 præmissis, sive eorum occasione ad-
 versus personam, seu dignitatem su-
 pra dicti Caroli Thomæ Cardinalis,
 Commissarii, & Visitatoris Generalis,
 seu alias in præjudicium libertatis,
 Immunitatis, & Jurisdictionis Eccle-
 siasticæ. atque authoritatis Apostolicæ
 respective quovis modo edita, promul-
 gata, scripta, gesta, lata, acta, facta,
 & perpetrata cum omnibus, & singu-
 lis inde sequutis, & forsan quando-
 cunque sequuturis, penitus, & omni-
 no nulla, irrita, invalida, iniqua, in-
 justa, damnata, reprobata, inania,
 temeraria, & a non habentibus pote-
 statem damnabiliter attentata ac de
 facto præsumpta, nulliusque roboris
 & momenti, vel efficacitæ esse, & ab
 initio fuisse, & perpetuo fore, nemi-
 nemque ad illorum observantiam te-
 neri, imo nec ea a quopiam observari
 posse,

Sæc. XVIII. posse, vel potuisse, neque illa ullum
 A. C. 1710. statum facere, vel fecisse, sed perinde
 ac si nunquam emanassent vel facti
 fuissent, pro non extantibus, & non
 factis perpetuo itidem haberi debere,
 tenore præsentium declaramus. Et
 nihilominus ad majorem, & abundan-
 tiorum cautelam, & quatenus opus sit
 illa omnia, & singula motu, delibe-
 ratione, & potestatis plenitudine par-
 tibus, harum serie damnamus, repro-
 bamus, revocamus, cassamus, irrita-
 mus, annullamus, & abolemus, viri-
 busque & effectu penitus & omnino
 vacuumus, ac pro damnatis, reprobatis,
 revocatis, cassatis, irritis, nullis,
 invalidis, & abolitis, viribusque &
 effectu penitus, & omnino vacuis sem-
 per haberi volumus & mandamus.

Firmas præterea, ac salvas esse
 similiter volumus, atque decernimus
 quascumque censuras & pœnas Eccle-
 siasticas sive a jure, sive a prædicto
 Carolo Thoma Cardinale latas, & pro-
 mulgatas, quas præfati, & alii quilibet,
 qui præmissa perpetrarunt, nec-
 non adhærentes, fautores, & defen-
 sores eorum, sive qui illis auxilium,
 consilium, vel favorem quomodolibet
 præstiterunt, propter eadem præmissa
 quovis modo incurrerunt, a quibus
 post condignam Ecclesiæ præstitam,
 satis-

fatisfactionem, non nisi a Nobis, seu Sæc. XVIII.
 Romano Pontifice pro tempore exi- A. C. 1710.
 stente, vel etiam ab ipso Carolo Tho-
 ma Cardinale, aliove Commissario, &
 visitatore generali dictarum partium
 similiter pro tempore existente (præ-
 terquam in mortis articulo & tunc cum
 reincidentia in easdem censuras, eo
 ipso, quo convaluerint) absolvi, & li-
 berari valeant. Facultate insuper non
 solum Nobis, & huic sanctæ Sedi, sed
 etiam ipsi Carolo Thomæ Cardinali
 seu pro tempore existenti commissario,
 & visitatori generali prædicto expresse
 reservata, quatenus illi minime redie-
 rint ad eos, sed in sua contumacia per-
 sistentes, Censuras, & pœnas Eccle-
 siasticas hujusmodi animo, quod absit,
 sustinuerint, indurato ad alia cano-
 nica, & severiora remedia quomodo-
 cumque procedendi, &c.,

Insuper Clemens Pontifex, ut Tur-
 nonius Cardinalis, quem Papa defun-
 ctum esse, nondum noverat, nuperum
 decretum in causâ Rituum strenue ad-
 implere, atque ad ejus observantiam
 refractarios compellere posset, Joannis
 Lusitani Regis opem implorabat, an-
 no sequenti die duodecima Januarii da-
 tis ad eum hisce literis: „Dudum pro-
 „cudubio Majestati tuæ innotuisse non
 „dubitamus responsa illa, quæ in celebri
Hist. Eccles. Tom. LXVIII. O causâ

Sæc. XVIII. „caussa Rituum seu cæremoniæ Sa
A. C. 1710. „nensium, prævio diuturno, diligen
 „tissimoque examine prius edita, Pon
 „tificiæ subin auctoritatis nostræ accel
 „sione ante sex annos confirmanda, &
 „approbanda esse censuimus, ut ante
 „qua inter Evangelicos Missionarios
 „larum partium ea de re oborta dissi
 „dia, quæ saluberrimo, sanctissimoque
 „Catholicæ Religionis propagandæ
 „peri magnum adeo injiciebant, (b
 „quod dolentes dicimus) adhuc inji
 „ciunt impedimentum, e medio peni
 „tus tolleremus. Novisse pariter Ma
 „jestatem tuam non ambigimus, quæ
 „postea Carolus Thomas de Turnon
 „&c. in Sinarum, aliisque Indiarum
 „Orientalium Regnis a Nobis specialit
 „ter deputatus, eadem in re per suam
 „Decretum die vigesima quinta Januarii
 „Anno 1707. editum Apostolicæ nostræ
 „Decisioni inhærens mandavit. Æquum
 „nunc ducimus, Te itidem scire, aliud
 „novissime a Nobis in eadem causâ
 „promulgatum fuisse Decretum, quo
 „post maturam accuratamque discul
 „sionem eorum omnium, quæ adve
 „sus Mandatum præfati Cardinalis de
 „Turnon postremo deducta fuerunt
 „tum antedicta responsa, tum etiam
 „ipsum mandatum, seu Decretum Car
 „dinalis supradicti ab omnibus, ad quos
 „spectat

Sæc. XVIII.
A. C. 1718:

„spectat, inconcusse ac inviolabiliter
 „sub censuris & pœnis in Mandato hu-
 „jusmodi expressis observanda esse de-
 „claravimus, quovis contrafaciendi
 „quæsito colore vel prætextu penitus
 „sublato, ac potissimum non obstante
 „quacunq; appellatione a quibusvis
 „Personis, sive Sæcularibus sive Re-
 „gularibus, etiam specifica, & indivi-
 „dua mentione & expressione dignis,
 „ac quavis Ecclesiastica dignitate ful-
 „gentibus ad hanc Apostolicam Sedem
 „interposita, quam propterea rejicien-
 „dam esse duximus, ac reipsa rejeci-
 „mus, quemadmodum ex ipso Decreto
 „die vigesima quinta Septembris pro-
 „xime præteriti edito, cujus exem-
 „plum hisce nostris literis adjungetur,
 „uberius intelliges. Ad hæc Majesta-
 „tem suam latere nolumus, Nos, cum
 „subinde non sine gravi animi nostri
 „molestia acceperimus, a nonnullis in-
 „terpretationes quasdam nedum a
 „Mente nostra prorsus alienas, verum
 „etiam satis perspicuo novissimi hujus
 „decreti sensui repugnantes, statim ac
 „illud promulgatum fuit, vulgatas fuisse:
 „illico mentem nostram, germanum-
 „que sensum ipsius Decreti primum
 „quidem Præposito Generali Societa-
 „tis, postea vero dilectis etiam Filiis
 „Ord. FF. Præd. Eremitarum S. Augu-

Sæc. XVIII. „stini, necnon Minorum S. Francisci
 A. C. 1710. „Observantia, & Reformatorem respo
 „ctive nuncupatorum Superioribus Ge
 „neralibus diserte aperiendum, denun
 „tiantumque curavisse, eisdem pro
 „pterea sedulo injungentes, ut sui
 „quisque Religiosis in Sinica Missione
 „collaborantibus idipsum patefacerent
 „ne alias ejusdem decreti executionem
 „tantopere a Nobis optatam inaniam
 „ejusmodi ac futilium explicationum
 „obtentu ullatenus retardari, aut e
 „tiam eludi contingeret. Nosse de
 „num Te etiam volumus, Decreti supra
 „dicti, eorumque omnium, quæ in ejus
 „modi causa ab hac sancta Sede hæc
 „nus constituta fuere, executionem e
 „nixe a Nobis demandatam fuisse præ
 „fato Cardinali, quem scilicet in pri
 „stinam libertatem jam pridem restit
 „tum fuisse certo credimus ex iis, qua
 „tuo in Indiis Proregi non semel injun
 „xisse, Nobis significasti. Nec plane
 „veremur, quin ipse Cardinalis pro eo
 „quo præditus est, singulari Zelo sedu
 „lam, strenuamque operam daturus sit
 „ut voluntati nostræ munerique suo cu
 „mulate satisfaciat. Quoniam vero
 „probe compertum habemus, quan
 „tum rebus momentum accessurum sit
 „ubi Majestas Vestra eidem Cardinali
 „præmissorum executionem, aliaque

„in hoc ipsum tendentia, quibus opta- Sæc. XVIII.
 „tam tamdiu pacem Missionibus illis A. C. 1710.
 „reddendam fore confidimus, promo-
 „vere fatagenti Regio suo patrocínio
 „suffragari dignetur, vehementer id-
 „circo a Te petimus, & majori, quo
 „possumus animi conatu Te hortamur,
 „atque etiam rogamus, ut pro eo, quo
 „polles, orthodoxæ Religionis promo-
 „vendæ & conservandæ studio plane
 „eximio, ipsi Cardinali Regiæ tuæ au-
 „toritatis ope, atque præsidio adesse,
 „tuisque illis in partibus Administris
 „opportuna mandata in eum finem tra-
 „dere accurate velis, quibusvis hacte-
 „nus injectis impedimentis penitus sub-
 „motis, &c. „

§. XLVII.

*Pontificis epistola ad eundem Regem
 hac in causa.*

Nec prorsus irritum erat Pontificis Epistolæ
 Clem. XI.
 pag. 1502.
 studium; quippe Joannes Lusita-
 niæ Rex Goano Pro-Regi injunxe-
 rat, ut in eos omnes, qui Cardinali
 de Turnon ejusque Familiaribus gra-
 ves injurias intulerant, pro culpæ me-
 rito animadverteret: eapropter Ponti-
 fex die decima quarta Martii anno se-
 quenti has ad eundem Regem dedit
 literas: „Ex binis Majestatis tuæ re-
 „spon-